

CAPUT III.

An aliquando liceat exterius Fidem veram negare,
aut falsam profiteri.

12. *An liceat unquam positive fidem negare.* — 13. *An uti verbis ambiguus. An tacere.* — 14. *An fugere.* (Vide alia *ibid.*) — 15. *An uti vestibus vel signis infidelium.* — 16. *An audire conciones haereticorum.* (Vide alia *ibidem.*)

Fidem negare semper illicitum.

12. - « Resp. Nullo casu licet, sive « voce, sive alio signo fiat, dicente Christo (Matth. x, 33): *Qui... negaverit me coram hominibus, etc.* Interim vero, etsi licitum non est mentiri seu simulare quod non est; licet tamen dissimulare quod est, sive tegere veritatem verbis aliisve signis ambiguus et indifferentibus, ob justam causam, et cum non est necessitas fatendi. — Est commune. S. Thomas ¹, Coninck ¹, Laymann ².

Uti verbis ambiguus, quando illicitum.

« Unde resolvitur:
13. - « 1^o. Rogatus de fide in odium religionis, sive publica auctoritate sive privata, nullo modo potest, utendo restrictione mentali aut verbis ambiguus, ita respondere, ut praesentibus videatur fidem negasse; multo minus dicere se esse haereticum, vel calvinistam, vel non catholicum. — Azor, Filliuccius ³.
« 2^o. Qui rogatus, seu privata seu publica auctoritate, vel tacet, vel respondet obscure, vel ait se nolle respondere, se jure non rogari, non teneri se nec velle aliis dicere quid ipse credat, ac simili modo tergiversatur; non videtur negare fidem, sed nolle prodere. Unde,

« si sic potest molesta inquisitione liberari, licet; ut habet Coninck ⁴. — Generatim enim verum non est, quod interrogatus auctoritate publica teneatur positive fidem profiteri; nisi quando id necessarium est, ne praesentibus videatur fidem negasse. Coninck ⁵, Navarrus ⁶, Azor ⁷, Sanchez, Becanus ⁸, ». (Hac de re, vide propositionem 18 inter damnatas ab Innocentio XI ⁹).

14. - « 3^o. Non negat fidem, sed prodit, qui fugit: quod etsi liceat, non tamen pastor, tunc cum ejus opera oves indigent; uti contra, si eis consultius est, ut ad tempus se subducatur, et in bonum earum reservet, tenetur fugere. — Reginaldus ⁶, Becanus ⁷, Filliuccius ⁸, etc.
« 4^o. Si quo casu tacere esset negare, tunc id non liceret; v. gr. si, aliis rogatis an fidem negare vellent, iisque respondentibus quod non, tu taceres. *Ibid.* ⁷. — Vide Bonacina ⁸, Laymann ⁹, Toletum ¹⁰.

« 5^o. Si princeps generali lege jubeat, ut fideles se prodant, gestato signo, vel sistendo se, vel aliter; non tenentur, cum nemo teneatur verum dicere, nisi

Fugere, quando licitum.

Tacere.

Obligatio sese prodendi quando adsit.

n. 6. — ⁶ Lib. 17, n. 26. — ⁷ Scilicet *Regin.*, lib. 17, n. 20; et *Fill.*, tr. 22, n. 62. — ⁸ Disp. 3, de 1^o Praec. Decal., qu. 2, punct. 3, n. 6. — ⁹ Lib. 2, tr. 1, cap. 11, n. 2. — ¹⁰ Lib. 4, cap. 2, n. 2.

¹ De Fide, disp. 15, dub. 2, 3 et 5. — ² Lib. 2, tr. 1, cap. 11, n. 1 et 2. — *Asor*, part. 1, lib. 8, cap. 27, quaer. 1. — ³ Tr. 22, n. 63 et seqq. — ⁴ De Fide, disp. 15, dub. 5, n. 91. — ⁵ Loc. cit., dub. 2, n. 17. — *Sanch.*, Decal., lib. 2, cap. 4,

12. - ^a) Scilicet S. Thomas, in *2^a 2^{ae}, qu. 3, art. 2*, negat semper adesse obligationem fidem confitendi.

13. - ^a) Navarrus, *Manual.*, cap. 11, n. 27, non aliud scribit quam haec sequentia: « Non autem peccaret propter solam omissionem signi vel habitus christianismi ».

^b) Azor, *part. 1, lib. 8, cap. 27, qu. 1*; et Becanus, *de Virtut. theol.*, cap. 9, qu. 4, n. 3, negat absolute posse tacere aut dissimulare fidem, eum qui a potestate publica

interrogatur; et ajunt illum teneri tunc ad fidem confitentiam.

^c) Propositio 18 damnata ab Innocentio XI, haec est: « Si a potestate publica quis interrogetur; fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum, per se non damno ».

14. - ^a) Becanus, *loc. cit.*, n. 10 et 11; Filliuccius, *tr. 22, n. 75 et 76*, non habent ultimam partem hujus casus. Et Reginaldus dicit tunc pastores prudenter acturos si fugerint.

« specialiter rogatus. Excipe, nisi eae sint « circumstantiae, ut hoc ipso, quod se non « prodant, videantur fidem negasse; ut v. « gr. si quidam antea noti essent, et tunc « ex hoc putarentur defecisse. — Sanchez ¹, « Becanus, Reginaldus, Filliuccius ², etc.

Non rogatus prudenter tegit fidem.

« 6^o. Cum non rogaris de fide, non solum licet, sed saepe melius est ad Dei honorem et utilitatem proximi, tegere fidem, quam fateri: ut si latens inter haereticos, plus boni facis; vel si ex confessione plus mali sequeretur, v. gr. turbatio, necesse, exacerbatio tyranni, periculum defectionis, si torquereris. Unde temerarium plerumque est offerre se ultro. — S. Thomas, Sanchez, Laymann ³.

Se redimere ab inquisitione, licitum.

« 7^o. Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est; et saepe magna virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis ».

Vestibus infidelium uti, quando illicitum.

15. - « 8^o. Talis modus non est uti vestibus aut signis infidelium, quae alium usum non haberent, quam quod essent signa professiva falsae religionis seu cultus: uti essent vestes, quarum usus est in sacrificiis; item incensio thuris aut genuflexio coram idolo; item sumptio coenae haereticae, etc. — Sanchez ⁴, Filliuccius ⁵, etc., et communiter.

Quando licitum.

« 9^o. Licitus autem modus est, quando subest causa (ut v. gr., ad evitandum grave periculum, ad obtinendam victoriam, eludendos hostes), uti vestibus et signis infidelium, quae aliquem alium usum habent, quam profitendae religionis: quales sunt vestes talis nationis (non religionis), quibus uterentur, etsi converterentur, ut sunt vestes et signa nationis Turcicae. Quod verum est, etsi sint vestes ipsorum religiosorum: dummodo non habeant peculiare signum profertendi erroris, sed sint tantum indicium

« nitidioris cultus, ut saga praedicantium « in Germania; vel eminentioris vitae inter « suos, ut togae boniorum in Japonia. « Idem dicendum est de signis quibus Judaei utuntur, v. gr. flavo annulo in pallio Francofurti, etc.; quia haec sunt signa mere politica, et distinctiva unius generis hominum ab alio, et non proprie professiva fidei. — Quae sententia probabilis est. Vide Sanchez ⁶, Becanus ⁷, Laymann ⁸, Coninck; contra Cajetanum, Navarrum, Toletum.

« 10^o. Licitus item modus est, cum catholicus transit per loca haeretica, et periculum grave ei imminet vitae v. gr. vel honorum (non tamen, si derisio tantum vel vexatio, ut habet Becanus ⁹), ad dissimulandam fidem, vesci carnibus die prohibito; quia praeceptum Ecclesiae non obligat sub tali periculo. Nec hoc est fidem negare: cum usus carniarum non sit institutus ad professionem religionis, et catholici etiam mali et gulosi id faciant. — Si tamen ex circumstantiis fieret signum professivum fidei, ut si, v. gr. in odium fidei conviviae statuerent, ut qui est hostis fidei pontificiae, comedat carnes; peccaret contra fidem qui ederet sine protestatione; secus, si protestaretur. — Sanchez, Azor, Becanus ¹⁰, et communiter ».

16. - « 11^o. In Germania audire conciones haereticorum, deducere funus, assistere baptismo pro patrino ¹¹, non habentur signa professiva fidei, vel communionis cum haeticorum sacris. Filliuccius, Azor, Sanchez ¹². Unde, seclusis aliis, v. gr. scandalo, periculo, prohibitione, et si ex justa causa fiant, licent ». [At in synodo Neapolitana expresse prohibetur assistere concionibus, catechismis, et quibuscumque ritibus haereticorum, ex quocumque praetextu. Estque casus reservatus cum excommunicatione ipso fa-

Praecepta non servare in locis haereticis, quando illicitum.

Caerimoniis haereticorum interesse, quando illicitum.

¹ Decal., lib. 2, cap. 4, n. 29. — *Becanus*, de Virtut. theol., cap. 9, qu. 5, n. 89. — *Regin.*, lib. 17, n. 27 et seqq. — ² Tr. 22, n. 90. — *S. Thom.*, 2^a 2^{ae}, qu. 3, art. 2, ad 3. — *Sanch.*, Decal., lib. 2, cap. 4, n. 8. — ³ Lib. 2, tr. 1, cap. 11, n. 2. — ⁴ Decal., lib. 2, cap. 4, n. 16, 18 et 21. — ⁵ Tr. 22, n. 78 et 82. — ⁶ Loc. cit., n. 16 et seqq. — ⁷ De Virtut. theol., cap. 9, qu. 5, dub. 6, n. 35. — ⁸ Lib. 2, tr. 1, cap. 11, n. 4.

Coninck, disp. 15, dub. 3, n. 65 et 66. — *Cajetan.*, in 2^{am} 2^{ae}, qu. 3, art. 2. — *Navarr.*, Manual., cap. 11, n. 27, v. *Quario*. — *Tolet.*, lib. 4, cap. 2, n. 3. — ⁹ Loc. cit., qu. 5, n. 23. — *Sanch.*, Decal., lib. 2, cap. 4, n. 25. — *Asor*, part. 1, lib. 8, cap. 27, quaer. 3. — ¹⁰ De Virtut. theol., cap. 9, qu. 5, n. 23 et seqq. — *Fill.*, tr. 22, n. 85. — *Asor*, loc. cit., quaer. 5. — ¹¹ Loc. cit., n. 26.

16. - ^a) Auctores allegati non loquuntur, locis citatis, de eo qui ut patrinus baptismo

assistit; sed eadem sane ratio est de hoc casu, quam de reliquis.

cto. Caeterum Salmant.¹ tenent licere, modo absit scandalum, periculum perversionis, et communicatio impietatis]. — « Imo patrinum fieri talis infantis, videtur « potius optandum, seclusis aliis; quia non « est aliud, quam obligare se ad eum olim « erudiendum in fide catholica^{b)}.

« 12°. Infidelium et haereticorum sacris « non licet ita interesse, ut eis communi- « care censearis; alioquin licet, v. gr. ut « quis spectet tamquam comoediam, aut « famulatum praestet politicum domino « suo, exemplo Naaman Syri; de quo vide « Becanum, Filiuicium, Sanchez², Lay- « mann³.

« 13°. Si princeps haereticus mandet « sub gravissima poena omnibus subditis, « adire conciones haereticorum, etiamsi « verbis dicat se hac re aliud nihil exigere, « quam obedientiam civilem, nec velle « cogere ut a fide discedant; cum tamen « reipsa contrarium velle videatur (nam « obedientiam suorum aliter exercere po- « test, et haec res ex se apta est catho- « licos paulatim pervertere, et insuper

« conciliare auctoritatem haeresi, ac vi- « lipensionem verae fidei), non licet obe- « dire. — Atque ita bis rescripsit Anglis « Pius V, apud Sanchez^{c)}, Filiuicium^{c)} et Azor^{c)}.

« 14°. Catholici viventes inter haereti- « cos, si ex praecepto magistratus con- « trahant matrimonium coram ministro « haeretico, peccant contra fidem; etiamsi « contraxerint ante, vel contracturi sint « postea coram sacerdote catholico (Co- « ninck⁴, Palaus⁵); testaturque contrahens « caeremonia illa, se illum agnoscere verae « fidei ministrum: quae sunt intrinsece « mala (Malderus^{d)}): quia auctoritas mi- « nistri, et consequenter doctrina ejus au- « getur, concurraturque ad ritus haere- « ticos, quos minister isto actu exercet^{e)}. « — Licite tamen contrahunt coram ma- « gistratu civili, vel potius testantur se « contraxisse; modo prius vel posterius « ritu catholico contrahant: quia haec actio « est instituta ad finem politicum, ut con- « juges habeantur, et proles non cen- « seantur illegitimae ».

Matrimo-
nium co-
ram haere-
tico mini-
stro illicitum.

¹ Tr. 21, cap. 2, n. 122. - *Becan.*, loc. cit., qu. 5, n. 14. - *Fill.*, loc. cit., n. 91. — ² Loc. cit., n. 27. — ³ Lib. 2, tr. 1,

cap. 11, n. 3. — ⁴ De Fide, disp. 15, dub. 3, n. 68. — ⁵ Tr. 4, disp. 1, punct. 17, n. 14.

^{b)} Quod Busenbaum hic optandum dicit, prohibetur ab Ecclesia, et quidem a S. C. de Propaganda Fide, quae cum interrogata esset: « An haeretici levare possint ad Baptismum filios fidelium, et e contra »? die 22 Sept 1642, respondit: « Alias dubium fuisse resolutum negative ». — Et S. C. S. Off. in una declaratione 10 Maji 1770, pariter prohibuit munus patrini suscipere in haereticorum baptisinate; et in hac declaratione S. C. addidit: « Catholicis regulariter non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse ».

^{c)} Haec plane indiligenter et perperam referuntur a Busenbaum. Et primo quidem prohibitio ista lata est non a S. Pio V, sed a Paulo V. — Deinde Sanchez, *Decal.*, lib. 2, cap. 4, n. 27; Filiuicium, *tr.* 22, n. 86 et 87; Azor, *part. 1, lib. 8, cap. 27, qu. 5*, prohibitionem eo sensu interpretantur, ut sit illicitum templa haereticorum adire, si princeps eo animo jubeat, ut illo actu, tamquam haeresis symbolo, catholici haeresim profiteantur, et ut haeretici a catholicis discernantur; licitum vero esse ajunt, si solus principis jubentis animus sit, ut omnes suis praeceptis obtemperent. Et re quidem vera Paulus V, in Brevi *Magno*

animi moerore, 10 kal. Octobr. 1606 dato, (quod confirmatum est Brevi *Renunciatum est*, 10 kal. Octobr. 1607), sic loquitur: « Cogimur monere vos atque obtestari, ut nullo pacto ad haereticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum eis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurrat. Non enim licet vobis haec facere sine detrimento divini cultus ac vestrae salutis ». Utrumque Breve reperitur apud Suarez, *Defens. fidei cathol.*, lib. 6, prooem., et in *Act. Pii VI, quibus Ecclesiae cath. calamitat. in Gallia consultum est, tom. I, Append., Docum. XI et XII.* (Romae, Typ. S. C. de Prop. Fide 1871).

^{d)} Malderus, in *2am 2ae, qu. 3, art. 2, membr. 3, obj. 2, i. f.*, negat istiusmodi catholicos, coram ministro haeretico contrahentes, excusari posse; quibus insinuare videtur haec intrinsece mala esse.

^{e)} S. C. S. Off., die 27 Mart. 1878 et 22 Mart. 1879, declaravit catholicos, qui matrimonium ineunt coram ministro haeretico vel schismatico sacris addicto, incurrere excommunicationem, eam scilicet quae sub n. 1 constitutionis *Apostolicae Sedis* contra haereticorum fautores sancitur, et Romano Pontifici specialiter reservatur.